PAX
NIL AMPLIVS
De Interpretationis Philoſophi Interpretatione Periermenias ſua lingua vocatæ

QVID SIT SONVS ;
Sit ne Soni finis intrinſecus

PAX
Quæſtio eſt.

ADMODVM REV. PATRI

VINCENTIO MVTIO

Art. & Sac. Th. Doctori, olim in Romania Prouinciali Ord. Min. S. Franciſci Conu. à Secretis, & Aſſiſtenti Generali, & nunc Prouinciæ Mediolanenſis Miniſtro Prouinciali, & Commiſſario Generali.



MEDIOLANI

Ex Typographia Ludouici Montiæ, MDCLXXXI.

Die 28. Nouembris 1680.

EX ordine Reuerendissimi Patris Sixti Cerchij Inquisitoris Generalis Status Mediolani vidi opusculum inscriptum Interpretatio Interpretationis Aristotelis &c. compositum ab Adm. Reu. Patre Lectore Bonauentura Pace, ac in eo nihil reperi dissonum Orthodoxæ Fidei, aut sacris sanctionibus, ideoq; censeo typis edi in lucem posse. Me tamen &c.

Iacobus Saita Canonicus Basilicæ S. Ambrosij pro Sancto Officio Librorum Reuisor.

Attenta præfata attestatione

IMPRIMATVR.

F. Sixtus Cerchius Inquisitor Mediolani.
Carolus Ioseph Saita Laurent. Basilicæ Archipresbyter pro Reuerendissimo Capitulo Sede vacante.
Arbona pro Excellentissimo Senatu.

ALLVSIVA

VINCENTIO,

Quia pax soni finis est Adorea VICTORIÆ,

MVTIO,

Quia nihil iam MVTIRE audio (teste Manutio de verbo MVTIO) est idem, ac VERBVM SONARE sonans,

VINCENTIO,
Quia
In Agone, in quo maximè SONVS viget
VICIT,
Eiusque propter PACEM SVPERIOR votis
Euasit.
VINCENTIO
MNATSEACH
Hebraicè dicto
Præditus arte canendi, atquè sonandi
Interpretato;
Sicquè vocabatur
MNATSEACH,
AC si
Diceretur
Fortis in opere suo, &
Princeps;
Eratquè
Cantorum Pulsatorumque Præpositus, &
Præses:
Ad cuius Imperium
Psalmi Canebantur, &
Pulsabantur: Vnde
Paralipomenon
2. 2. 2. A. M.
ET
MNATSECHIM

PRÆPOSITOS, vel (suple sono) CONFORTANTES
Super eos tria millia,
ET
Sex centos
Ad domum Domini ædificandam
Numerauit.
MVTIO
Hebraicæ LACASCH:
Idem ac
MVSSARE sonanti,
Aut voce submissa
Loqui;
Nam,
Quod Celatum velim
MVSSO.
A quo LACHAS, idest
MVSSITATIO,
VEL
Locutio occulta, vel
Consilium secretum
Dicitur.
Quare
Si
Veriloquium Etymologicum
VINCIT:
HÆC
Illustrissima, & Nobilissima Bergomensis
Cognatio,
De
MVSSIS potiùs, quam de MVTIIS
Esse cognominanda
Dilucidum est.
MVSSO enim, non MVTIO LACHASCH
Nostra sub lingua
Cadit;
Eaque de causa
Argolicos apud Sapientes
Huius certiores de originatione fabertimè factos
MVZO

Ypsi-


Ypsilon litteræ V Gallicæ adinstar
Proferentes
Censebatur MVZO
Proferri;
MVSSI ergo à MVSIS
Primordia MVSSANTES
PARNASIDES
MVSSARI
Possunt.
Nonnè Elinicum MVZO verbum
Labris clausis
SONVM emitto
Sonat?
Nonne
Syllaba MV græcè MY
Notula dulcissima
Musicæ cantus,
Vocula è flebili ducta
Prima componitur
MVZO,
Secunda SO?
Ergo
Idem MVZO sonat, ac
Notæ (si MVSIS placet)
MVSICAM
Adumbrantes;

VT MY SO LA Chasch-

MY, ZO, LA, Chasch,
Proh qualis, & quis est,
Qui
Complet aures meas
Tantus, & tam dulcis
Cantus!
Proh qualis, & quis est,

Qui
Irrorat fauces meas
Tam bonus, & tam dulcis
SONVS!
DulciSONAS MVSSO dulciter
Notas
MY, SO, LA, Chaſch
Totius MVSICÆ
MELOS;
Nam MV, MY, à Mio μῦω,
Latinè occludo, claudo, conniueo
Vertitur.
Vnde
Claudite iam riuulos &c.
Idem ac
MVSSATE à cantu ſatis ſuperque
Cantaſtis
DE MVSIS, MVSARVM MVSSAT
Coripheus
Poeta.
Nonne
MY à Muo, Μῦω à Mio, Μῦω,
Quod eſt minuo
Originem duxit?
Minuitur enim, quod clauditur.
Quare

M. tollitur per Ecclypſim.



Dum oRE, MYZO, LACHASCH
Canitur ſemiclauſo
Dulciùs
MVSICA
MVSSAT.
Solum FA
Nota HAC in

Vocis

Vocis MYZO LACHASCH MVSICA
VERA
Minimè ſonum FAcit,
Quia
FA fictum eſt,
Adeoquè deletum ab EO
Vide ſupra.
Inde Myſterium,
Quod
Res MVSSANS
Arcana, & clauſa,
Ne
Cuiuſuis pateat
Eodem Themate,
Quo
MVZO gaudet.
Scilicet Mio μειῶ;
Quod tangit
Ieremia
8. 17.
Quia ecce ego mitto vos ſerpentes
Regulos, quibus non eſt
LACHASCH
INCANTATIO
Sic à radice germinans, à qua
MVSSO,
Quia
Fit voce ſubmiſſa.
ISAIA quoque
Pangit
3. 3.
ET
CONSILIARIVM, ET
SAPIENTEM
INGENIOSORVM,
ET
PERITVM
LACHASCH
ELOQVII

(Suple à
MVSSO
Dicti)
MVSSI ergo à MVSIS
A
Myin μυεῖν, quod est bona,
Honestaquè Disciplina
Aliquid instituere
Deriuatis.
Item
Clariùs idem de MVSSO
ISAIA MVSSITAT
A. M. 26. 16.
Domine in angustia
Visitauerunt
TE,
Effuderunt
LACHASCH
MVSSITATIONEM
Superior iustus. Correctio
TVA
Eis.
Clangit tandem
Illud
Ecclesiastis
10. 10.
Si mordeat Anacasch:
Idest
Serpens,
Absquè
LACHASCH,
SVSSVRRO,
MVSSITATIONE,
Absquè præsentia
Habenti
Linguam.
Non immeritò itaque MVTIVS
Ordinis Minorum
Honor,

Si

Si
A Minuo;
Conuentualium,
Si
A Conniueo, vel occludo
Conuentum;
Prouincialis præſens,
Si
VINCENTIVS MNATSEACH
Vertitur
Præſes.
Olim
A Secretis,
Si
De Muſſis;
Nulli
Secundus Alexander,
Si
Alexandriæ in Capitulo
Præfuit;
Omni
Dignus laude,
Si
LAVDÆ in
LAVDAbili
Vrbe
Electus
Fuit;
Egregius
Concionator,
Si
In Græcia
Fauſti Nuntij
Præco;
MVSSO tandem
Studioſis
Fauenti,
Si
Muſa Artium,

Etymologia Veriloquium eſt.

Prouincialis anno 1679. Laudę &c.

Scien-

Scientiarumque
Cognatio eſt,
Si
Muſicus Doctus
Interpretatur,
Si
Studioſi
PhiloMVSI
Dicuntur;
ET
MVSAM
Mentis Vim,
Qua
Doctrinam inquirunt
Vocant.
Iuremerito itaque HIC
De SONO
TRACTATVS
MVZO
Nuncupatur,
Quia lerneis eſt
Vitiorum Hydris Teterrimus
Propulſator.
Quid mirum,
Si
Delphinus ipſe Muſica
Arte mulcetur,
Præcipuè
Hydrauli
Sono.
Iam quia
Eius in STEMMATE
Magnum ſonat myſterium
Aquila
Inſignitum
Ciliorum Vmbra
Ipſum Solem adumbrante.
Nonne
Ibi fit Vmbra lucens

Prædicator celeberimus Bononiæ, & alibi.

In Luce
Vbi Aquilæ.
Luces in luce
Lucent?
Ergo
In MVZO
Lux lucet in Vmbra;
Et
Lucet Vmbra
In luce.
Nonne illud Terentij
TEGE, TACE, MVSSA(PACE)
Idem ſonat;
Ac
Iſtud:
PAX NIL AMPLIVS;
Ergo
De Pace
Frater
Bonauentura
Tace!
Claudo Ego,
Taceo, muſſo, & tego.
Quare
EO de Superiore
MEO
Pauca,
Et timidè loquor:
Ideſt
EMVTIO,
MVZO,
Vel
MVSSO,
QVIA
Me huius Etymologicæ Logicæ
Fecit Anctorem,
ET
Primi, ac Secundi Seminarij
Conuentus eiuſdem Ordinis

Si hoc percipere nequis Quæſtionē ſequentem perlege.

ME-

MEDIOLANI
LECTOREM
Hanc, quæ ſequitur de SONO
Lectionem
Primam (DEO duce) docentem,
Primumquè ſcire dantem
Hebraicum
Veriloquium,
Quia
Melius



T ſancitum accepi à Philoſophantibus terminorum ſignificationem Miracibus, atq; Tironibus ſignificare poſſum,ſi cum latina græcam ſciam, & hebraicam habere originem, ea de cauſa mearum iuxta SONVM linguarum: Primo ſciatis volo,quod hæc vox SONVS ſuum traxit originationis SONVM hac à voce hebraica SCAON , quod

Probo, nam camets, ideſt A contracto, & daghesſate, ideſt puncto, quo litera Schin notatur detracto ex SCAON fit SON, à quo dicitur SONVS. Quam etiam Etymologiam hoc in verbo PSAO ψάω Græci retinent; quod

Probatur primò ex litterarum capitalium figura; Nam ſi Philoſopho dicere placuit, quod parum diſtat nihil diſtare videtur; vt videre eſt.

Prima huius verbi PSAO ψάω, & prima huius vocis SCAON, quamuis vna Græcorum littera ſit,Hebreorum altera, tamen ſimillimæ ſunt.

Probatur ſecundo etiam in eadem eorum ſignificatione vocabulorum minimè diſcriminantur; vox enim hebraica SCAON ſonitus, tumultus, inundatio aquarum cum impetu venientium vertitur; ſicquè Pſalmo 45.
45. 3. ver. 3. *Sonuerunt, & turbatæ ſunt aquæ eorum* (in paſſione Chriſti) vel cum hebraicis Biblijs *Sonabunt, &*
A. M. *turrabuntur* (in die iudicij) *aquæ eius*; Quapropter SCAON, quod eſt SONVS pro deſolatione, atquè miſeria vſurpatur.

Neque

Neque minus vſurpandum eſſe videtur pro deſolare verbum Græcum PSAO ψάω, quia vt melius in infra notatis videbitis, extenuo, deſolo, rado, & ſubuerto vertitur; nam

SONVS nimis acutus deſertum reddit auditum; ſicut aqua deſolans reddit ſolum ſolum, ſcilicet terram. Quare non illepidè Philoſopho dicere placuit excellens ſenſibile ſenſorij actiuitatem deſolare, ſicut Sol viſum deſolat; qua de cauſa SCAON voce hebreorum ab alia SON, quod idem ſonat ac quieſcere, PACEM habere, tranquillum agere primores deduxerunt; à qua Itali SONNO, & SVONO (ſi placet) cum Latinis SOMNVM, & SONVM habent; quaſi dicatur pro eo, quòd commotus, ſeù iratus eſt aliquis contrà aliquem, ſemper ſui propter PACEM, vel ob ſui quietem; ideſt quòd erat ipſi PAX, & REQVIES; vnde Pſal. 65. ver. 8. in hebr. BB. *Compeſcens ſonitum marium, ſonum fluctuum eorum, & turbam gentium*; ſicquè maria amara, valdè turgentia (vt dum Sigeſtri Orientis commorabar, crebrè ſum expertus) nubes, & caliginem ſono diſſipant; quâ de causâ, per ſpatium duorum circiter annorum ibidem commorationem habendo, patriâ in illâ nonnullos inter nebulones nebulam vidi nullam: tandem accedit A M. BB. Pſ. 65. 8.

Littera Schin tribus erectis exarata ramis, quaſi perfecti ſit SONI ſignum tribus requiſitis, verberante ſcilicet, verberato, aereque completi.

Quos inter; vel germen aliquod fractum germinat, vel emittit ſpadicem, vt aëris fractum à percuſſione ſonum principaliter cauſante cauſatum, nobis perſonet, ſonumque extroportet, clarum eſt.

Quod enim tribus, non autem pluribus, nequè paucioribus ſit inſignita virgultis, quod ſonus fiat ſemper vndequaque ſonantis propter pacem, vel quietem commonſtrat; nam litteris tribus, quarum tertia X ex S, & C compoſita, ſicut littera SCHIN in voce SCAON PAX adumbratur; hocquè totum vt magno non ſine huius originationis myſterio cenſeatur benè notari, notatur.

Quod numerus impar idem ac PAX in ſono ſonat.

Quod

Quod trinus numerus triplicatus his in hebraicis vo-
9. cibus SON, SONNO, & latina voce PAX
18. inuariabilem numerum complent, ideſt nouem, quod per
nouem multiplicatum facit nouem, & triplicata ſunt
27. æterna terna.

Quod funiculus triplex difficile rumpitur experiri po-
36. teſt. Quandoquidem tres homines (verbi cauſa) diù
45. inter ſe vocis SONO rixari non poſſunt, quia duos inter,
& vnum controuerſia verſatur; ſed quid vnus ſonat? vel idem ac nullus, vel maximè propè nullum. Et quid contrà duos, qui multi ſunt, vnus, qui nullus eſt, facere poteſt? vel loqui quid? pacem. PACEM profectò SONO vocis petat, SONI ſcopum & finem, ſi vitam amat, qui mortis ſomnum per belli SONVM propè ſe ſe audit; nec audet contra duos (qui nullus) in agonem deſcendere; (qui agoniam ſibi timet ab illis) ità pariformiter non auditur;

Cùm SONANS etiam qui cum *ad aliquid*, & cum *in aliquo* contendere debeat, duos inimicos morti feros habet; ideòque, quod PACEM in ſcopum habere intendat dilucidum eſt.

Rursùs illorum ſi duo minimè contrà tertium belligerabunt, ſed inter ſe tantum tumultuantes erunt; tertius ſi aderit homo PACEM (pacto aliquo (verbi cauſa) illos tractando) inter illos tractabit. Si aderit homo (dixi) ex eoque deduxi: quod ſolus cuncta inter viuentia homo ab HOMONEO argolico verbo, idem ac concordari SONANTE deducatur; quà ab origine (quâ homo gaudet) motus Philoſophorum Princeps *Animal ſociabile hominem* (inquit) *eſſe*.

Aer ſic pari modo SONO PACEM ambire debet, dum verberans, & verberatum tumultuanter SONANTIA ſecum ambit; nam aeris ſpirantis ad PACEM SONVS reſpirat; ita PACEM (à pari) ſoni finem à fine pectoris ſuo aere trahere debet; ſiquidem ex omni parte PAX SONI finis relucet; ergo SONVS omnis ordinatur vltimatè ad PACEM; ergo eius eſt adæquatum obiectum. Quare non ſine quare multis prætermiſſis ex hebraica lingua veriloquijs, Græcam de SONO

ex-

exterrebrando etymologiam, eorum primo prouerbij SONVM, à SONO desumptum volo (si placet) audiatis: PAX NIL AMPLIVS; quod idem, ac cessate à SONO, vel fauete faucibus, quia satis superq; sonastis, sonat.

Soni Græca Etymologia.

PRimo scitum velim, quod sonus græcè dicitur PHTHONGOS φθόγγος.

Idemque SONAT nostra lingua, ac strepitus sonitus SONVS &c. hocque à verbo phthegomæ loquor, scilicet SONVM edo, reddo, & profero, etiamque pronuntio, & vocem emitto, hinc fit diphthONGVS δίφθογγος, cuius geminus est SONVS, qui est duarum vocum Vox, & monophthONGVS vnum SONVM habens significans: pro cuius indubia fide nostrum audite Prædicatorem Ep. 1. ad Corinthios ità scribentem. *Maior est qui prophetat, quam qui loquitur linguis, præter nisi forte INTERPRETETVR, vt Ecclesia ædificationem accipiat. Nunc autem fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar, aut in reuelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina? tamen in anima vocem dantia, siuè thibia, siuè cithara, si distinctionem tis, PHTHONGIS, τοῖς φθόγγοις, quod est sonituum non dederint, quomodo scietur id, quod canitur, aut citharizatur?* Cicero de hoc quoque testis erit fidelis, quandoquidem inquit ANEV PHTHONGV, ἀνὺ φθόγγου, idest ipsa per se se sine voce, & sine vllo SONV mouetur. Dion. VOCE SVA PHTHENGETE φθέγγεται φώνην, idest loquitur, & apud Deos, & apud homines. Aristophan. in Plat. τὸ θυρίον OSTIOLVM PHTHENGOMENON φθεγγόμενον, idest strepitans clangit; vel propter cardinum PACEM plangit; ergo SONI finis PAX.

Pro suprema Classe Philosophorum & Prædicatorum contra Infideles.

DIco intrinsecum SONI finem esse PACEM, vel quietem, vel tranquillitatem habere, Quod

Primo

Primo probo præfatis ex Hebreo deductis, & Græco Veriloquijs, atque Etymologijs vnum de SONO SONVM habentibus, sunt enim illæ voces, quæ nulla discriminantur radice PACEM sonare valentes.

Probo secundo. Nos experientia assuefacit omnia SONVM edentia, non alium ob finem, nisi aliquam propter requiem sono PACIS aglomerari. Nam

Si tonitrua auribus audiam, aeris serenitatem: si SONVM aquarum, æquorum tranquillitatem mente auriam; si habentia sensum vociferantia sentiam, ex eorum tumultuantium sono, PACEM illa exterrebrare inferam; cæteraq; generis eiusdem, quæ in infra dicendis sonabunt; Ergo SONI finis PAX est, & requies.

Probatur tertio SONVS originationis SONO gaudet, fontis ab origine SCHILOAH ab hebreis, SILOAM Σίλωαμ à Græcis, & SILOE penultima longa omega appellati à Latinis, ad radicem Ierosolimæ montis siti, sitim benè extinguentis, non perpetuis aquis, sed certis horis, certisuè diebus ebullientis, & per terræ concaua, & antra saxi durissimi magno cum sonitu (à quo SONVS aquæ SONVS dicitur) diffluentis, ac postea quiescentis, vel in fonte PACEM habentis; qui quamuis paruus sit, SONITVM, & strepitum magnum edit. Est & Piscina in IeruSALEM PACIS ciuitate; sed hæc omnia PACIficum adumbrant SONVM illum, quo PACIFICI SILONI vocantur hebraicè; ergo vndequaquè SONVS ad PACEM vergit, vel ad quietem quiescit; Probo minorem omnibus modis, &

Primo si SILOE missus, vel mittens interpretatur: PAX quoque SALEM à SALE hebraicè dicta, missio, vel mittens vertitur.

Secundo SILOE in termino montis oritur; PAX à montis virtutum virum tutum facientis Radice educitur. Vndè dicimus virtutum radices amaras; ergo à SALE; fructus verò dulces; ergo à PACE.

Tertio SILOE certis horis ebullit; PACEM habens amore Dei certis orationibus æstuat; ea de causa Ambrosiani frequenter (vt in eorum legi liturgia) PACEM HABETE, habent.

Quarto

Quarto SILOE per terræ concaua, PAX in foraminibus petræ.

Quinto SILOE per antra saxi durissimi; PAX per cauernam maceriæ, in vulneribus Christi; Petra autem erat Christus.

Sexto SILOE magno cum sonitu exit è monte SION. PAX magno cum sonitu exit in morte SILO; per quam *exitus aquarum deduxerunt oculi mei*. PACE, vel vnione ablata, tumultuanter omnia dissoluuntur; aut Mundi machina dissoluetur. Dion.

Septimo ille mons vnde SILOE, SION est appellatus, & *fortitudinis munus* SONVS, vel *strepitus* interpretatus; Nonne fortitudinis munus PAX; Nonne munus PACIS fortitudo? ergo soni finis pax?

Octauo SION, & SONI eisdem numero litteris componuntur. SCALEM, & SCAON, idest PAX, & SONVS, eisdem numero litteris capitalibus integrantur; ergo cum mons Domini, item, & mons sanctus SION appelletur, ex eo, quod eius ex vertice IeruSALEM, idest visionis PACEM videant; Mihi videtur etiam sanctum esse Romanorum inuentum in Ecclesijs tintinabuli SONVM admittentium PACIS, fœderisq; in signum.

In vertice SION arx erat constructa, quæ à Dauide ciuitas Dauidis est vocata, qui Dauid dilectus interpretatur; Nonne *in cælestibus castris PAX, & acies habent flores suos, quibus dilecti Milites Christi coronantur.* Vnde alibi Dauid *inquire PACEM, & persequere eam*, vel cum hebraicis Biblijs *quære PACEM, & sequere*, vel *supersequere eam*; Ergo per Anagramma purissimum SION, & SONI; PACIS, & SILOE; integritate, & veritate completum, complementum, & SONI finem PACEM esse. De PACE affirmans, non asserit falsum. Monta.

Confirmatur. PACIFICVS hebraicè vocatur SILONI, sed hoc verbum per Anagramma purissimum vertitur LI SONI, vel LI SION; ergo congruum est &c.

Probatur vltimo per rationem ex Scoto quæst. prima prologi desumptam: Omnis rei finis proprius cognoscitur à nobis ex actibus eius nobis manifestis, ex quibus

 osten-

ostenditur, quod talis finis sit conueniens tali naturæ, sed omnes SONI actus, aut ictus esse ordinatos vltimatè ad PACEM, vel quietem experimur, vt notatione probauimus; ergo SONI finis PAX, & requies.

Min. probatur; si aliquis SONI ictus non ordinaretur ad PACEM, maximè in Belli SONO reperiretur; sed quoque Belli SONVS ad internam, vel externam PACEM vltimatè anhelat; ergo Christianum præpara Bellum, ò Infidelis, internum si vis soni PACEM habere, & perpetuam promereri coronam. Vnde versus composui.

Armisonans sonat hebreis, sonus asperè, non pax,
Sed bellum stagnans sanguinem corde rapax.

Obijcies primo. Nullius est vlla res finis, cui numquam fit possibilis illa, atqui aliquis sonus datur, cui nulla fit possibilis PAX; ergo non cuiuslibet SONI finis illa est; Minor probatur: hebreorum SONVS, quò SILO illos ad redimendum veniat deprecantur, PACEM (quamuis SILO PAX, & abundantia interpretetur) nunquam obtinebit abundanter; Ergo non omnis SONVS ad PACEM anhelat in fine; antecedens probatur, Hebrei SONO vocis signa quærunt, non autem sapientiæ SALEM; sed SALEM hebraicè significat PACEM; Ergo si PACEM non quærunt, quomodo PACEM inuenient? *Qui quærit, inuenit* PAX ipsa inquit.

Scitum velim, quod SALEM, idest PAX nomen Vrbis est in Sichimis, quæ est in terra Samariæ in finibus Ephraim sita, quæ eiusdem Regionis à nomine Sichem appellatur, ex quo nomine etiam IeruSALEM visio PACIS interpretata, aliàsque SALEM vocata componitur.

Respondeo primo nostra pro fidei PACE, vel moraliter loquendo concedo totum argumentum; quia verissimum est, quod MESSIA missus iam est, vt Redemptor; Sicq; etiã si SILO non missus, sed mittendus nostra lingua verteretur, intellige quod vt Iudex, non vt iudicandus mittendus est in die Iudicij terribilis, atq; seuerus.

Hebrei autem secundùm imaginationem, & non rationabiliter sonantes, Christi aduentum iam fuisse repudiant. Hinc fit, quod PACEM eorum sono insanè impediant. Sanè fit hoc non SONI ex parte, sed vel ex

parte

parte Dei summi liberi ipsos (vt ipsi aiunt) liberare nolentis (quod non admittitur) vel illorum incredulitatis ex parte se ab illo iam sufficienter liberatos esse non credentium. Secundum bene est ratio, sed mala malorum prima hebreorum oratio; vel tantum oris ratio, quæ modò SONVS vox sine PACE vocatur.

Sicut enim non permittit Dominus dominium hebreis, quia Dominum Dominantium Verbum incarnatum fuisse denegant, vt negauerunt semper; Ita ipsi non permittunt eorum vocibus PACEM, quia PACEM ipsam necauerunt, quod ob tantum PACIdium *Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ eorum*, idest hebreorum contra Dominum spumantium, atquè spuentium; non solùm quando spiritus eius ferebatur super aquas baptismales in noui Mundi creatione, quando scilicet Ecclesiæ Catholicæ, quæ regnum Cælorum est, primam fecit expansionem aquarum; sed quoque respuentium SILO nostrum, quando in suæ passionis SILOE suum super sanctissimum sanguinem motabat; pro quo exclamant hebraica Biblia, *& spiritus Domini motabat super aquas.* Gen. 1.
Et alibi contra hebreos sonant eorum veriloquia. *Sonabunt, & turbabuntur aquæ eius* (suple in die Iudicij) Psal. 65.
vt mergantur hebrei, qui resurrectionem non meruerunt, 8.
ex eo quia resurrectorum capitis resurrectionem non crediderunt; quod si meis neque dictis fidem præstabunt, audient primo in Psalmo Psalmistam illos illa de Psal. 1.
infallibili veritate certiores facientem; *non resurgent,* v. 5.
inquit, impij (Increduli Iudei) *in Iudicio*; vel cum eorum Biblijs *non stabunt* (supple in cetu iustorum) *in Iudicio*, idest vt iudicent, sed vt iudicentur, cum maximè Iudicum Iudicem iudicare ambiuerint; eaque de causa post Silo iudicatum nullum ex eorum gente Iudicem gentes viderunt, nec vident modo, neque vllo modo videbunt; quia sicut cum latinis Biblijs *Sonuerunt, & turbatæ sunt* Psal. 65.
aquæ eorum; ità cum hebraicis *Sonabunt, & turbabuntur iugiter* plusquam tempore Noè, nouæ tribulationis hebreorum aquæ, & sic turbabuntur Iudei Iudicibus ab omnibus; quia vt habetur in eorum Biblijs Vebemoschab letsim, scilicet *super cathedram derisorum sedentes,*

tes, quæ in nostro Psalmo, vt in græco *pestilentiæ cathedra* appellatur, Silo Regem Mundi, reum mortis iudicauerunt; Qua de iniuria Iudex Inuindex fuit nullus, nec est, neque erit; quia tantæ iniuriæ vltrix natura ipsa contra ipsos euasit.

Scitum velim cum Arist otile Topicorum sexto, capite secundo, quod *translatio illustrat, declaratquè quodammodo propter similitudinem id, quod significatur*, vt Plato oculum vocauit *Phrioschion* φρυοσκιον, idest *cilij vmbram*; & araneam sipsidaces σηψίδακες, idest putri mordacem. *Quippè cum omnes, qui transferunt verba; ea propter quamdam similitudinem transferant*; Hinc fit, quod præsens quæstio de SONO PSIPHOS appellato contra PseudoPSIPHON Infidelium transferatur à nobis eius, ob similitudinem quandam, aut
Scot. 1. d. 3. q. 5. *vestigium*, quod *est impressio derelicta ex transitu alicuius super vacuum, vel plenum ipsum imperfectè repræsentans*; & ideò imperfectè, quia vestigium repræsentat aliquid confusè, & sub ratione speciei *imago perfectè, quia sub ratione indiuidui:* sicut per vestigium distinguitur equus à boue, & cognoscitur, quod transiens est equus, non bos; Non autem distinguitur hic equus ab illo, sed imago distinguit sub ratione indiuidui, quia imago Iouis non repræsentat Cæsarem; erit ergo (si placet) personarum pluralitatis, & vnitatis essentiæ in Trinitate vestigium aliquod SONVS.

Epilogus pro Sumolistis contra Infideles sonum in Templis repudiantes.

VT ECCLESIA (iuxta Diui Pauli sancitum) mea ex interpretatione vndequaque ÆDIFICATIONEM quamdam accipiat totam hanc de SONO quæstionem contra Infideles sonum in Ecclesijs repudiantes clangere, atque sonare faciam; &

Primo cum Aristotile 2. de anima

Est per se insonus aer propterea quod dissipabilis sit; sunt aereæ hæreticorum voces, propterea quod relatè ad PACEM SONI finem per se insonæ sunt; Immò minus, quam aer sonoræ mihi videntur, quia hæresum

vento

vento agitatæ, non modò dissipabiles sunt, sed dissipatæ. Minimè miremini ergo fideles, quod organorum sonum non admittant Antigonistæ, quia quod per se insonum est, non appetit sonum per se, neque per accidens. Quandoquidem *omne simile simili gaudet*. Sunt sonora organa, sunt insonæ hæreticæ voces; *par pari referre est necesse*.

Secundo *Cum prohibetur dissipari aerem huius motus sonus est*; & quomodo prohiberi potest?

Resp. Quod vel per aquam, vel per aliquam rem generis eiusdem; Ita hebreorum vocem si per Baptismatis aquam corpus tangentem, & cor lauantem dissipari prohiberetur, quod PACEM illis sonaret intabescibilem, quam nobis sonat conspicuum est.

Sicut enim colores nequaquam videntur sine lumine, nec vlla res auditur sine sono; ita PACEM hebrei nullo colore sine catholicæ fidei lumine possidebunt æternam, nec eius SONVM auribus haurient.

Sine sono acutum, & graue cognosci non potest, quod grauis sit hebreorum vox, negantem vidi neminem: Immò, quod eorum miseriæ grauiores ipsos affirmantes audiui; sed quia insona est, nec ipsam ipse Deus audire potest, eo minus exaudire.

Vacuum rectè dicitur audiendi Dominus, sed quia conscientiam vt scientiam hebrei plenam habent errorum, herorum Domini vocem minimè audiunt; Immò & ipsum negant Dei Verbum esse Patris Vnigenitum Filium.

Videtur enim esse vacuum aer, quia est faciens audire modò, & nullo modo audiens; ita videntur esse quoddam vacuum hebrei, quia fecerunt, vt audiremus illud Verbum, quod ipsi nec audiuerunt, quandc ipsum verè audiuere, neque audire volunt, quod incarnatum sit, quando nos Dei Verbi præcones audiunt.

Aer in auribus inædificatus est ad hoc vt immobilis sit; Hebrei in auribus scandalizati sunt, ad hoc vt immobiles sint, & ab eorum obstinatione non moueantur; sed cum illa moriantur, & in ipsa sepeliantur.

Aer in auribus, quatenus certè sentiant omnes dif-

ferentias motus immobilis est; Immobiles sunt & Iudei, quia, quamuis differentiam verum inter, & falsum certè sentiam, verò tamen vnquam assentiuntur, sed falso semper aglomerantur.

Propterea, quia aer fidei nostræ nostris in cordis auribus stabilis est, & in aqua tribulationum per aquam baptismalem audimus. Quoniam aqua miseriarum non ingreditur ad ipsum mentis aerem, sed neque in animæ aurem nostram; sicut per anfractum Iudeorum fractum, totum in aurem nostra non ablutam aqua, quæ, vt Diuo dicere placuit Augustino, *corpus tangit, & cor albuit,* ingreditur.

Percussio est, quæ facit sonum, quod totum in nostris Martyribus, in eorum martyrijs ab Infidelibus persecu-
S. Cæcilia. tionem vsque ad vltimam passis percussionem, modoq; cæli acta canentibus dilucidum est.

Impossibile autem est cum sit vnum tantum fieri sonum, sed tria requiruntur; Ita vnum Deum in essentia tantum credentibus, & trinum in personis negantibus, sicut Turcis, & Hebreis impossibile est illis bonum PACIS, & salutis fieri SONVM actu; quod probo.

Aliud enim est, quod verberat, & quod verberatur, & sonans ad aliquid sonat. Alius enim est quoque in Diuinis qui generat, & qui generatur, & spirator aliquem spirat. Nam Pater generat, Filius generatur, à quibus duabus personis æqualiter Spiritus Sancti persona liberè spiratur; Eumdem ergo Spiritum Sanctum duo spirant spirantes, quem vnus spirat spirator; non ita, vt moderni fatentur Schismatici, à Patre per Filium tanquam per aliquam scatebram non suis, sed fontis scatentem aquis Spiritus Sanctus procedit; Quomodo legi in
D. Ath. Symb. Quicunq; vult saluus esse. Diui Athanasij Symbolo fortè à Schismaticis pessimè alterato in Bibliotheca Ambrosiana huius Vrbis Mediolanensis seruato non latinè, sed græcè impresso præcisis verbis *Tu Patros*, τȣ̃ πατρὸς, scilicet *à Patre* (non subdendo KÆ YIV και Υἱȣ̃, scilicet, *& Filio*) procedens, quæ illorum Schismaticorum falsa opinio nō complet aures meas; quia non personat sicut catholica, quæ vndequaque perfectius sonat, quam iuxta infirmi-

tatis meæ valetudinem diuinarum personarum vestigio personante sic probo.

Ad hoc vt fiat sonus duorum percussionum solidorum fieri opportet ad inuicem, & ad aerem. Quapropter à Sumulistis omnibus

Sonus non vox duorum percussio corporum inanimatorum dicitur.Ità pari modo vt Diuinæ Personæ personent, idest perfectius sonent, & consonæ sint nostræ fidei, duarum primo relationem personarum fieri opportet ad inuicem Patris scilicet ad Filium, Filijq; ad Patrem: & ab illis duabus ad Spiritum Sanctum per aerem misticè adumbratum; Subsumo, sed

SONVS à Verberante, & Verberato æqualiter producitur; Ergo eodem vestigio probari potest Spiritum Sanctum à Patre, Filioquè produci; nam sicut SONVS à verberante, & verberato elicitur, ità Spiritus Sanctus à generante, & generato spiratur. Item

Confirmatur tribus intellectis rebus, vnus tamen ex illis completur sonus; Ità pariformiter vna intelligitur Trinitas tribus intellectis personis.

Vnum vacuum reflexione facit multos ictus post primum, non potente exire, quod motum est; ita vnus Deus intellectus reflexione, & voluntate multus facit personarum respectus post primum, non potente exire, qui natus est, & per nostrum intelligendi modum motus est; quia Essentia Diuina in tribus personis vna est, sicut in se ipsa; quandoquidem ipsi repugnat ab alijs esse, & ita ab alijs multiplicari non potest; nã quod multiplicatur ab aliquo, ab illo quodammodo accipit esse; Siquidem multiplicatio sine distinctione fieri nequit, estq; constitutiuæ, & distinctiuæ rationis eadem ratio; ex quo sequitur etiam contra hebreos, quod

Tres personæ congruæ exprimuntur nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quia concedit ibi verè relationes originis, quia concedit veram originationem vnius personæ ab alia, quæ est generatio; & ita persona generans est Pater, & persona genita est Filius, & processionem tertiæ à duabus, & ità procedens est Spiritus Sanctus, & spiratur voluntate casta, & sancta.

Colliges, quod duplex SONVS sit, alius enim actus quidam dicitur, & potentia alter.

Sonus secundùm actum alicuius ad aliquid, & in aliquo fit semper.

Sonus secundùm potentiam, illud, quod potest sonare dicitur, vt æs, & quæcumque solida, & leuia sunt.

Sonare est inter ipsum, & auditum facere sonū actu.

Percussio est, quæ facit sonum.

Ictus non fit sine latione.

Scitum velim, quod *non quorumlibet ictus sonus est*, vt Infidelium ictus non sonus, sed insonus dicitur; nullum enim faciunt SONVM PACE obiectiuè terminatum; & si percutiantur hebrei, quia lana est eorum opinio, quæ minimè solida est; SONVS autem est solidorum percussio; Hæreticorum verò sententia spongia est, nostra verò vera fides, FIDES, vel æs est, & quæcumque solida sunt, leuia, vel concaua, quæ PACEM nobis sonare possunt perennem.

Dices amplius auditur in aere SONVS, quam in aqua, sed hebreorum voces aereæ sunt, vt diximus; ergo melius à Deo, quam nostræ, quæ in aqua ex fonte baptismatis hausta audiuntur.

Resp. Quod facit transitum argumentum de audire SONVM ad SONVM facere; Nam licet in aere melius audiatur SONVS, quam in aqua, non tamen consequentia tenet, ergo aer magis sonat, quam aqua, cum experientia oppositum doceat; Nam, vt supra diximus, ipsemet SONVS suam originationem sumit ab aquarum murmure, cum impetu venientium SCAON SAON SON nostras ad aures repetentium. Quare mons præ dictus, cuius ex pedibus talis expeditur humor cum rumore, vel sono, Sion, idest soni, & fortitudinis Mons appellatur. Vnde

Rumor prima detracta sonat humor, quod quidem aqueum est; Itaquè rumor, seù sonus aquæ magis, quàm aeri, cæterisquè elementis generis eiusdem connaturalis dici potest.

Colliges secundo, quod opportet, vt *motus ferientis anticipet aeris fractum, velociter, & fortiter percussi,*

atquè sonantis: Verbi causâ: si accervum, aut cumulum arenæ percutiet aliquis latum velociter, sic gratia Dei meritum anticipat nostrum.

Echo fit quando ab aere vno facto, propter vas, quod terminauit, & prohibuit frangi, iterum aer repellitur, quemadmodum sphera.

Est ergo sonatiuum, quod vnius aeris continuitate vsque ad aurem est motiuum; qui bonorum operum continuitate perseuerabit vsq; in finem saluus erit.

Auditus connaturalis est aeri, sicut pupilla humidũ.

Non omne quod verberat, & quod verberatur sonat, vt si acus acum feriat, sed percussum regulare esse opportet: Propter quod Hebrei, non regulares, sed irregulares; hæretici, non Religiosi, sed Irreligiosi sunt; nullum SONVM emittunt, neque in eorum templis admittunt; talem enim SONVM faciunt hebrei, & hæretici, qualem acus acum feriens.

SONVS à Sumulistis, aliquod perceptibile, vel natum percipi proprie, & per se ab auditu dicitur.

Propriũ, quia aliorum sensibilia sensuum excludẽs est.

Per se, quia sensibilis per accidens SONVS non sibi vindicat nominis SONVM.

Acutum mouet sensum in pauco tempore multum.

Graue mouet sensum in multo tempore parum.

Non igitur velox est acutum, graue autem tardum, sed fit illius propter velocitatem motus huiusmodi, huius autem propter tarditatem; sicut circa tactum pungit acutum, obtusum verò pellit. Propterea, quod mouet illud quidem in pauco, hoc autem in multo, quare accidit illud quidem esse velox, hoc autem tardum.

Obijcies primo. Manus malam percutiens, & cætera generis eiusdem, quæ animata sunt sonant; ergo falsa est soni assignata ratio.

Resp. Quod ad hoc vt aliquis SONVS fit non vox, non est opus vt percutiens, & percussum sint inanimata, sed sufficit quod SONVM non extroportent, vt animata sunt reduplicatiuè, sed vt solida sunt, quia etiàm si animata non essent, SONVM ederent; secus autẽ de Voce.

Obijcies secundo, Frangatur V.G. tela aliqua, fit

SO-

SONVS, & non ex collisione; ergo &c.

Resp. Quod licet non fiat percussio formaliter, fit tamen æquiualenter, relatè scilicet ad effectum, quod est violentum aeris fractum, vel fractio.

Obijcies tertio. Omnis propositio est falsa, in qua prædicatur vniuersale vniuersaliter sumptum; sed in definitione SONI prædicatur vniuersale vniuersaliter sumptum; ergo soni definitio non est bona; Minor probatur; In SONI definitione prædicatur quicquid &c. ergo &c.

Resp. Quod licet quicquid sit signum distributiuum, tamen in definitione non tenet vniuersaliter, sed indefinitè; sicq; non prædicatur vniuersale vniuersaliter sumptum.

Obijcies quarto. SONVS, qui tinnitus aurium appellatur sine collisione fit; ergo falsa SONI definitio.

Resp. Quod licet non fiat collisio formaliter, fit tamen æquiualenter; Nam tinnitus aurium fit, quod spiritus vitales ad Tympanum collidunt, vel quod ex praua dispositione aër congenitus moueatur, quod sæpenumero in Infirmis contingere solet. Nam secundùm Aristotilem de partibus animalium in aere congenito fit auditio, quod

Probatur. Vt supra diximus cum Aristotile 2. de anima opportere huiusmodi aerem immobilem, & tranquillum esse, vt extra sonos percipiat, omnesq; eorum differentias dignoscat; ergo illi operatio auditiua debetur.

Scitum velim, quod iste de quo loquimur aer immobilis est; Sed

Contra Aristotiles vbi supra ait aerem intra aurem contentum semper moueri; ergo &c.

Resp. Aristotilem loqui de aere elementari, vel si de aere congenito loquatur de mutatione non locali, sed intentionali per species SONI in eo aere receptas loquitur.

Scitum velim primo SONVM esse auditus adæquatum obiectum, quem ad causandum duo corpora requiruntur per vehementem motum localem se collidentia, quæ quò duriora fuerint, quod eò meliorem efficiant sonum consonum est.

Scitum

Scitum velim ſecundo, tertium corpus interceptum duorum ex colliſione corporum reſiliens, quò duritiem ſibi vindicabit minorem, raritatemq; maiorem eo eſſe, vt reſiliat aptius, quod totum in aere, etiam tenebroſo dilucidum eſt; quod tamen

Probatur ex Ariſtotile 2. de anima, ***Amplius auditur in aere, & in aqua, ſed minus***, ſuple in aqua; quam in aëre, quia craſſior eſt aere aqua; ergo &c.

Scitum velim tertio, præter hæc tria motum localem requiri, aliquo cum impetu factum, & ad SONVM, tanquam ad terminum ſuum per ſe minimè terminatum; bene quidem ad vbi; ſed modò tanquam conditio prævia, ad hoc vt alia corpora SONVM cauſent requiſitum, quod

Probatur ex Ariſtotile vbi ſupra ſi velociter, & fortiter percutiatur ſonat; oportet enim vt motus ferientis anticipet fractum aeris, ſicut ſi aceruum, aut cumulum arenæ percutiat aliquis latum velociter; SONVM ergo corporis reſilientis ex percuſſione duorum ſe collidentium localem eſſe motum remotum ab omni veritate Philoſophica eſt.

Si quæras vbi nam ſedes auditus collocetur?

Reſp. Auditus organum os quoddam eſſe inter anfractum auris collocatum ab Anathomiſtis tympanum auditus appellatum, quod per tria ſtabiliunt oſſula, vt incus, & maleus ſe habentia; Intra quæ aer quidam congenitus aſſeruatur, qui vallo quodam cohibetur, & diſſipari prohibetur, quia alioquin diffluèret, vel ſaltem vehementibus frangorum ictibus diſſiparetur.

Sicut enim oculi in obticos neruos, ſeù viſorios deſinunt, ſic auditus tympanum neruo à cerebro deſcendenti per quem tunc ſpiritus animalis ad tympanum deuehitur, eſt affixum. Tunc etiam ſonorum ſpecies ad ſenſum communem feruntur; quod

Probatur ex Ariſtotile de generatione Animal. lib. 5. cap. 2., vbi habet *eadem vero audiendi, olfaciendiq; ratio eſt*.

Meatus enim ſenſorium omnium tendunt ad cor, aut ad cordis proportionale ſi corde carent. Itaque meatus

audiendi quoniam sensorum hoc aeris, qua spiritus natiuus in alijs pulsum, in alijs spirationem hac desinit; Quapropter verba ediscuntur, vt quod audieris reddere ore possis, qualis enim motus subierit per sensorium, talis, quasi ab vna, eademq; voce, effigie motus per vocem agitur, vt quod audieris idem dicas; ergo &c.

Probatur secundo. Ex ipsomet Aristotile olfaciendi verò, audiendique meatus contingunt aurem externum pleni spiritus natiui, orbiq; à corde tendunt, ac desinunt ad veniculas cerebro adiuncta; ergo &c.

Quæres secundo. Quare oscitantes, àut spiritum reddentes, aut accipientes minus audiant.

Resp. Cum Aristotile vbi suprà; quoniam extremum sensorij auditus ad partem spiritalem terminetur, & quatiatur, moueaturq; vnà cum sua mente spiritali, quoties illud spiritum mouet, mouetur enim cum mouet.

Quæres tertio. Quare longius alijs alij audiant?

Resp. Longius audiunt, quia aures anfractu habent longiores.

Cum autem ille aer, cui potentia auditiua debetur Anima informetur, quia ab elementari discriminatur, tandem sibi vindicat aeris nomen, aliquam ob similitudinem, qua aeri elementari (à quo est diuersæ rationis) assimilatur; quandoquidem raritate tantum, & subtilitate simili gaudent.

Sonus ergo qualitas absoluta est auditu perceptibilis, quod

Probatur primo. Sensibile proprium, cuiusmodi est SONVS, & sensibile commune, cuiusmodi est motus, discriminantur, ergo SONVS, & motus non coincidunt, ergo si SONVS non est motus ex supradictis, nec motum causans; erit profectò præfata qualitas absoluta.

Probatur secũdo. Per motum sonus causatur, & æquè benè fit sine sono motus, ergo ab inuicẽ excluduntur; sed

Contra Aristotiles sonum esse motum. corporis resilientis inquit, ergo sonus motus est; sunt enim hæc Aristotelis præcisa verba: Estigar ò psophos Kinesis &c. idest Sonus est motus eius, quod potest moueri; ergo &c.

Resp. Aristotilem loqui in sensu causali, non autem
for-

formali, ſumendo tamen cauſam latè, pro quauis etiam conditione ſine qua non; quapropter ibidem addit Philoſophus hoc modo reſultantia à leuibus, cum aliquis percuſſerit; à corporibus enim ſonoris ſonus fit effectiuè per qualitatem ſonatiui, ex primarum temperamento qualitatum ortam; ſunt enim corpora temperamenti diuerſitate alia alijs ſonora magis. Vnde Ariſtotiles ait: Aer eſt faciens audire cum mouetur continuus, & vnus quia ſonatiuum, eſt quòd motiuum eſt vnius aeris continuitate vſque ad auditum, vt diximus. Ariſtot. 2. Ani. T. 81.

Quæres quare in aqua audimus? T. 82.

Reſp. cum Ariſtotile vbi ſupra: quòd ideo in aqua audimus, quoniam non ingreditur ad ipſum connaturalem aerem, ſed neque in aurem propter anfractum.

Ad propoſitum redeundo, quod SONI finis PAX ſit; Collige ex Cantico ipſi VICTORI Dauidi Pſalmo 39. *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi, & exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miſeriæ, & è luto fæcis;* qui Pſalmus apud Hebreos quadrageſimus eſt; Eſtq; ita noſtra lingua ex Hebreo interlinealitèr verſus. *Expectando expectaui Dominum, & declinauit ad me, & audiuit clamorem meum, & aſcendere fecit me à ciſterna SCAON SONITVS è luto cœni, & ſtatuit ſuper petram pedes meos, & dedit in ore meo canticum nouum laudem Deo noſtro;* ergo (ſi placet) dedit ipſi PACEM poſtquam ſonando ſonauit Dauid ad Dominum, ad Dauid declinantem, SONVM clamoris eius audientem pace complendum; Sicq; cum è SCAON SONITVS belli ciſterna demigrare ad locum PACIS è luto fœcis fecit, & ſuper petram pedes eius ſtatuit (Romanæ Eccleſiæ Catholicæ firmam ſupra petram fundatæ veſtigium, Cui hanc pauperculam victimam corrigendam commendo, committoq;) canticum nouum in ore eius dedit propter PACEM eius, & laudem Deo noſtro, hic, & vbique, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum PACIS ſono laudabili. A. Mon. Pſal. 39.

Collige pariter, quod præſens quæſtio de ſono Trinitatis quodam veſtigio PACE terminato non eſt contra Sanctorum Patrum, & Scoti ſancitum, pro qua Diuum audies Auguſtinum 6. de Trinitate cap. 10. de creaturis dicentem.

Hæc igitur omnia, quæ arte Diuina facta sunt, & vnitatem quamdam in se ostendunt, & speciem, & ordinem. Vnitas autem est perfectio absoluta, sicut per exempla sua ibidem dilucidum est; Vnum aliquid est, sicut sunt naturæ corporum &c. Audi quoque Scotum (vbi inquit Trinitatis vestigium in omni creatura reperiri) Diuum Augustinum supra præfata verba ita exponentem.

Sent. lib. 1. d. 3. q. 5.

Hæc tria sic sumpta representant sub ratione similitudinis tria correspondentia eis in Deo, quia vnitas repræsentat summam vnitatem primi principij, à quo est origo: & quo ad hoc ait.

In illa Trinitate summa origo est rerum omnium. Species in creatura repræsentat summam pulchritudinem in Deo, vnde & subdit, *& summa pulchritudo.*

Ordo, siuè operatio in creatura repræsentat operationem perfectissimam in Deo, & quo ad hoc subdit, *& beatitudo est summa dilectio.*

Non dubium est, ergo quod possint & alia multa assignari in Creaturis, quæ velut similia repræsentant in Diuinis aliqua appropriata personis, SONVM V.G. cæteraq; generis eiusdem, per aliquod vestigium repertum in Creatis Creatorem adumbrantia.

Quæres vltimo. Quænam sint subiecta, in quibus sonus audiri possit.

Resp. Esse aerem, aquam, imò & alia corpora fluida, vt vinum, lac &c. modo nimis crassa non sint, quod

Probatur de aere per rationem allatam; de alijs patet experientia.

Ranæ enim sub aquis sonos edunt, Pisces in aquis eripiunt fugam ob sonum ad litora editum; sed

Contra Philosopho dicere placuit, subiectum soni solum aerem esse, ergo &c.

Resp. Aristotilem loqui de subiecto principalitatis, quia subdit; videtur enim esse quoddam vacuum aer, & vacuum rectè dicitur audiendi Dominus; nam idem *Dominus* sonat, ac principalitatis obiectum, vel nobilitatis, quæ est ratio constitutiua dominij; cuius ratio est, quia sonus ad aures pertingit non quasi ille aer, in quo receptus est sonus, statim ad auditum pellatur; nam omnes

nes circumhabitantes eumdem tintinabuli ſonum auribus audiunt, vbi non video vbi ille aer tam cito ſimul tot per feneſtras, & portas portetur.

Neque minus pertingit ſonus auditum, quaſi vicinus aer corporibus ſonoris impellat, & frangat alium; ita vt propagetur ſonus vſque ad aures; ſed ſui ſonus tranſfundendo ſpecies pertingit, quia non eſt alius dicendi modus, pro quo hæc carmina feci.

Si ſonus alter non vox eſt percuſſio duorum
Haud illorum, quæ cum vita; ſed ſolidorum.

Colliges vltimò ex iſto interpretandi modo, non modò Philoſophis, ſed quoque fauſti nuncij præconibus non parùm adferri iuuamen, & fundamentum, maximèque Sacræ Scripturæ loca exponentibus. Quod ſi nodus difficultatis etiam arctiſſimum proponat quis tibi ſoluendum; Verbi cauſa quem doctiſſimus Dominus Iacobus Saita Baſilicæ Sancti Ambroſij Canonicus Librorum pro Reuerendiſſimo Capitulo Reuiſor *Sitiuit anima mea ad te Deum fortem viuum*, an ne potiùs *ad Deum fontem viuum* ſit dicendum obiecit mihi ſoluendum, cui linguarum beneficio (ſi placet) reſpondere poſſum, quod omnibus in Biblijs hèbraicis, quæ vſque modo potui legere hæc verba formalia hoc in Pſalmo 42. hebraicè exarata leguntur: *Tſamehah Napheſchi lebeloim, lebel, Thai*, ſcilicet, *Sitiuit anima mea ad Deum, ad Deum viuum*, & ſequitur *quando veniam, & videbor faciebus Dei*, vbi nec *fortem*, neque *fontem* inueni; inueni tamen *fontem* in Pſalterio Pariſijs impreſſo, cui non correſpondet gallica verſio, in qua legitur *fort*; item legi *fortem* tribus in Pſalterijs Romano ſcilicet, Ambroſiano, & Græco apud me ſeruatis, quę & Pariſienſi ſunt antiquiora. Nam in Græco hæc verba præciſa notantur *Hedipſiſen hi Pſichimuc Pros Ton Theon, Hiſchiron To, Zoda*, ἐδίψησεν ἡ ψυχή μου πρὸς τὸν θεὸν ἰσχυρὸν, &c. *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum*, quæ Septuaginta Interpretum verba putantur, & non ſine magno myſterio *Hiſchiron*, ideſt *fortem*, non autem *fontem* interpretati ſunt vno ore Septuaginta, quia hoc verbum *hiſchiron* ſuam mihi videtur habere originem ab illo fonte fortes inter lapides diffluente ſine igne fortiter ebul- Pſal. 41.

ebulliente fortis si placet antonomasticè appellato, nec non bellum SAGITTA (à qua SAITA dicitur) aut arma, scilicet Missilia interpretato, quibus fortitudinis Epitetum ritè debetur; melius ergo, & elegantius cum pijssima, & prudētissima Ecclesia Romana *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuū* semper dicendum est; quàm &c. Neq; dicant quod non seruatur metaphora, quia non modò vna, sed duæ si fieri potest metaphoræ hoc in verbo *Hischiron*, idest fortem relucent, quia fortem pro fonte, & fontem pro Deo in hebraico fonte reduplicato Septuaginta traduxerunt, cuius sensus si placet *Sitiuit anima mea ad Deum fortem*, quasi ad Siloe fontem fortisonantem, à quo Mons Sion fortitudinis munus interpretatur, in quo Christus, & legitimus eius Vicarius adumbrantur; Vnde Ecclesia Trisagion psallendo *Agios Ischiros*, idest Sanctus fortis secundo loco pronunciat;
Ps. 98. 2. & Psalmista Psal. 98. 2. *Dominus in Sion magnus, & excelsus super omnes populos*, quia Sion fortitudinis munus; Et cum Aristotile vbi supra *fit sonus si fortiter percutiatur*. Sonus ergo, ad quem sitiuit anima mea extinguendo eius sitim, Sitim ad instar *irrigabit Torrentem spinarum*, quia *nemo mundus à sorde*, ideòq; quod
Ps 98. 10. sit non modo fons, sed quoque fortis oportet; Silo enim, à quo Siloe dicitur sonus aquæ, & pax interpretatur, cuius fit mentio Isa. 8. 6. *Et adiecit Dominus loqui ad me adhuc dicens, propterea quod abiecit, vel repro-*
8. 6. *bauit Populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio*, (supple quando exeunt extra fontem, cum quiete euntes, leniter, & pacificè, fortiterue intrantes); propter hoc *ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, & multas*, ad quas sitiuit anima mea, quia cum Diuo Augustino hunc locum exponente, *quod citò est Deo, tardum est desiderio meo*, ideoq; sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, vt maiora, & fortiora possim viuendo pro Catholicæ Fidei pace de sono contra Infideles factum sonum in Templis repudiantes consona semper veritati Catholicæ scribere. Scripsi.

EMVTIO *ego Frater Bonauentura Pace à Rusciano Min. Con. S. Francisci* DE VOCE.